

Argumentum.

Quicumque primo quidem corripendi, postea autem vitandi sunt, ut homines subversi, ut malitiosi peccatores, ut *ἀνοματαίετοι*, cum illis pacem spiritualem colere non debemus.

Nunc Hæretici tales sunt. E.

ANTITHESIS.

1. In superiori seculô Pontificiorum: *Erasmi, Georgii Wicelii, Georgii Cassandri*; in hoc seculô, *Marci Antonii de Dominis*. Et huic palmam dubiam fecit *Hugo Grotius*. Notandi
2. *Calviniani*, superiori seculô Helvetici in Colloquio Marpurgensi, annô nempe 1529. habito. *Pareus, Grotius, Bergius*:
3. *Seçta Calixtina* tota est Syncretistica, & ponitur pro fundamentô ab illis Symbolum Apostolicum, quod & faciunt Sociniani. Admittunt non tantum discentes illi, sed & docentes.

ARTICULUS I.

DE

SCRIPTURA SACRA.

APHORISMUS I.

Scriptura Sacra est verbum DEI, quod Amanuensibus suis Spiritus Sanctus inspiravit & in literas referre iussit, ut de DEO & rebus divinis plenè edocti per fidem in Christum æternum salvemur.

Definitio
Scriptu-
ræ S.

EXPLICATIO.

I. *Scripturæ Sacræ* vocabulum sumitur vel *incomplexè*, vel *complexè*. Priori modô sumitur vel *materialiter*, vel *formaliter*. Tantum formaliter dicitur accipi quoad sensum verborum divinatorum; Materialiter quando quoad literarum apices consideratur. Non habita ratione formæ internæ, sed externæ. Prior est ipse *Scripturæ* sensus, posterior concernit apices literarum. Complexè consideratur, quando utrumque simul spectatur. Nos complexam significationem accipimus.

II. Sa-